DE
GASTRITIDE MUCOSA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE VII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXLVIII.

PUBLICE DEFENDET

GUILEMUS HAHN
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

MART. STROM, THEOL. CATH. STUD.
IOH. HUBERT, MED. ET CHIR. DRD.
IOS. WIRTZ, MED. ET CHIRURG, DRD.

BONNAE,
FORMIS F. P. LECHNERI.
MDCCCXLVIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

MAURITIO NAUMANN

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD.
ORD. AQUILAE RUBRAE QUART. CLASS.
EQUITI, SOCIETATUM LITER. COMPLURIUM SODALI

AMICO DILECTISSIMO, CARISSIMO

AC INTIMO

PHILIPPO IACOBO IONAS

RECTORI IN PAGO LIEDBERG

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

DE GASTRITIDE MUCOSA.

De inflammatione acuta.

Respicientes causas, quibus acuta ventriculi mucosae exoritur inflammatio, huius inflammationis duas formas licet discernamus, quarum prima eademque frequentissima post venena sumpta inducitur, altera vero rarissima movetur vel potione frigida corpore calescente vel quoque aliter, non venenis. Quare separatim hasce duas formas exponamus.

De inflammatione acuta mucosae ventriculi post venena inducta.

Quamquam complures scriptores medici, in primis vero Morgagni in epistola anatomica quinquagesima nona, in libris memoriae mandavere casuum satis magnam copiam de veneficiis, nemo tamen omnium rem ab omni parte consideravit, nisi Orfila, professor Academiae Parisiensis celeberrimus, cuius annotationes de veneficiis et inflammatione ventriculi mucosae inde provecta quam accuratissime sequemur. Priusquam autem rem ipsam aggrediamur, nonnulla admonenda putamus; ut enim in ceteris, sic etiam in morbis qui venenis fiant, neque signa neque effecta eadem omnino in omnibus exspectamus. Aliae in aliis corporibus, quum fluidarum, tum firmarum partium, quae ad ventriculum praesertim attinent, constitutiones, eiusque praeterea inanitas aut plenitudo, haecque ab unius aut alterius generis alimentis,

facere nimirum possunt ut venena, quae actione diversissima corporis functiones perturbant vel ipsum diruunt, non iisdem signis affectibusque se prodant.

Quorum nonnulla corporis vires tam celeriter exhausere, ut tempore etiam vacent, quo signa inflammationis mucosae possint excitare inflammatione ipsa provocata. Alia in corpore assumpta post horas vel dies finem faciunt vitae gravibus laesionibus in corpore relictis, quae praesertim movent inflammationem partium correptarum, quorum destructiones partium ipsis effectae sunt discernendae ab iis, quae eas sequantur. Proprium enim est venenis e metallis se coniungere cum albumine partis infectae quo, si eius satis magna copia adest in parte, ut eo satientur venena, mors vel longius protrahatur vel pars ipsa in integrum restituatur. Multitudine igitur quadam veneni opus est, qua et inflammatio et mors possit consequi. Quo est maior copia veneni, quo maior superficies atque dignior vita conservanda venenis est obruta, eo vehementiora signa atque graviora exsistunt eademque saepius diversa. Aliud enim est, si ventriculum spectamus in portione cardiaca affecta, aliud si saccus coecus vel fundus aut corpus laborat, aliud vero pyloro peccante. Omnes partes ventriculi patiuntur venenis in solutione deglutitis, locus tantum, si venenum pulveratum vel crudum est sumptum. Neque tamen discretionem distinctam ad locum proprie affectum facere desinamus, quum tempus et signa vulgo deficiant ad eam faciendam, nisi sit sola correpta cardia vel pylorus, quibus signa propria sunt iure tribuenda. Praeterea accidit, ut rarissime vel nunquam una pars ventriculi iam nominata ceteris exclausis sit accessa ab inflammatione venenis inducta, ut facile quisque intelligat, si respexerit conditionem vitalem ventriculi. Vomitus quo natura nocentia removere studet, ipse est causa, cur venena in ventriculi cavo diffundantur atque dispergantur; cardia clausa, cur ferantur usque ad pylorum et ultra. Itaque in universum

afferamus signa inflammationis acutae post venena exortae, quin reiiciamus ea, quae indicare videantur in hac rerum perturbatione locum certum ventriculi mucosae.

Orfila dividet venena in varia genera, quorum est genus irritans, narcoticum etc.; genus irritans complectitur venena fossilium, venena vegetabilia, venena animalia; genus narcoticum comprehendit maximam ad partem modo venena vegetabilia acido hydrotianico excepto. Aliud genus, quod septicum nominat continet venena aerea, venena animalium. Quum modo venena irritantia et narcotica per se inflammationem (nonnullis sepositis) contrahant, signa eorum, quoad praesertim spectant ad ventriculi mucosam pronuntiabimus, neque tamen praeteribimus ea, quae ad veneficium cognoscendum pertineant. Ubi venenum irritans attigit ventriculi mucosam, ea laeditur atque irritatur ad partem affectam, qua laesione et irritatione primum dolor atque sensus contrahendi, deinde vomitus exoriuntur. Dolor varius pro quantitate et acrimonia veneni, semper autem vehementissimus. Vomitus plerumque repetitur, quum natura nocens quam celerrime removere operam det; saepe si actione viri vires ventriculi quasi exhaustae decedant, nausea modo provocatur aut vomituritio aut vomitus tum demum excitatur multis potulentis inductis. Vasis sanguiferis ventriculi ruptis vel laesionibus viri vel laboribus vomendi fit vomitus cruentus; alia quoque loca, quae virus tetigit, dolent atque sunt laesa; si venenum intestina aggressum est, crebrae alvi solutiones cruentae et non cruentae sequuntur. Cardia spasmo clausa vomitus non fit, quae est conditio pessima saepius arsenico devorato effecta. Dolore, vomitu, anxio animo sudor apparet in cute erterna, ex consensu dolor capitis; lotium saepius retinetur vel est minutum; spiritus difficile ducitur et redditur, adest singultus, lassitudo universa; lingua in marginibus rubra, sicca saepius fissa, fusca in superficie; maculae, color niger certis venenis deglutitis

toto in corpore (Orfila t. I. p. 36 et sq. Morgagni epitol. anat. LIX art. 3.). Fuere venena narcotica, stupor adest, inexpugnabilis paene somni necessitas, vertigo, coma deliria hilaria vel furibunda, convulsiones partiales vel universales lysis vel paralysis membrorum, dilatatio vel contractio luminis pupillarum, sensibilitas minuta sensuum tremor universalis, pulsus frequens vel rarus vel paene evanescens, visus interdum quasi vino obrutus (Orfila tom. II. pag. 1. et seq. pag. 42. p. 172 etc.) et tandem mors. Sin autem vomitu naturali vel artificioso vel antlia ventriculi adhibita vel aliter venenum e corpore est remotum, natura ut in vulneribus externis inflammatione mucosam ventriculi ceterasque partes laesas in integrum restituere laborat. Dolor etsi vehemens, tamen non acerrimus; irritata mucosa tali e pugna egressa primo reiicit cibos et potus vel vomitu vel Diarrhoea; mox autem diminuitur vomitus, aqua frigida aptaque methodo medendi allata; regio epigastrica est tensa inflata tactu dolens lingua sicca rubra in marginibus, saepe obtecta; sitis permagna aquae frigidae desiderium maximum; deest appetitio; lassitudo totius corporis; lotium normale esse potest. Sin destructio mucosae modo fuit parva, mox fit sanatio; fuit vero gravis, tum suppuratio mox sequitur inflammationem. Dolor tum mutatur, mutata eiecta vomitu. Indurationes mucosae ad locum correptum quoque relinquuntur. Alia signa, quae e supra memoratis iam adesse debent, longum est enarrare (Orf. t. II. p. 527. t. I. p. 47. 66 et seq. 85. 89. 110, 125, 148 et seq. 181, 213 et seq. 271, 313 et seq. 427. 510. 563. 567. 616. tom. II. p. 71 et seq. etc. etc.).

Res autem si in peius ruit, si mutatur inflammatio in gangraenam, si partium destructione fit perforatio ventriculi membranarum in cavum abdominis alia vero se ostendunt. Primo dolor acerbissimus factus, subito desinit, membra inferiora fiunt frigida, visus quasi confectus lingua saepius

fuligine obtecta, sitis permagna, pulsus fere deficiens, parvus etc. aegrotus, vel potius moribundus nonnunquam se bene valere roganti respondet. Alioquin dolor acerrimus exoritur contentis e ventriculi eavo eiectis, contrahitur, ut verbis utamur omnium scriptorum, qui de hac re scripsere, peritonitis acutissima, quam mox mors subsequitur. Utroque eventu inflammationis elucet, mucosam non solum dirutam veneno, sed etiam telam interstitem et musculosam; inflammata autem musculosa semper exitum habet in gangraenam (Abercrombie über die Krankheiten des Magens etc. aus dem Englischen von Gerhard von dem Busch p. 7).

Haec forma inflammationis acutae mucosae ventriculi facile distinguitur quoque a morbo huius membranae; adsunt enim fere semper alia signa veneficii in lingua, in ore, in pharynge in aliis corporis locis; praeterea vomitu eiecta Se-et excertiones corporis praebent argumenta, quae si quis microscopi ope et chemiae recte et accurate inspexerit, rem illustrare satis possint. Accedunt ad statum rerum facilius cognoscendum narrationes aegrorum, eorumque mores atque conditiones vivendi, quae omnia, medico advocato, sunt exquirenda. Restat igitur ut verba faciam de altera inflammationis acutae ventriculi mucosae, quae non venenis provocatur.

Abercrombie vir egregrius in libro, in quo agit de morbis ventriculi etc. sententiam pronunciat, inflammationem acutam mucosae ventriculi vel nunquam vel omnino rarissime inveniri; ad sententiam confirmandam, neque se ipsum neque alios medicos affert hanc inflammationem observasse; reiicit enim casus, quos Haller et alii memoriae reliquere non accurate descriptos. Neque tamen sunt copia observationum et veterum et recentium auctorum, quae hanc inflammationem exsistere statuunt. Quorum relata adducere operam dabimus.

Broussais, medicus Gallorum, inflammationem acutam ventriculi mucosae saepius incurrere affirmat, plerumque vero una cum inflammatione duodeni (tom I.); alii huic autem contradicunt. Verum quidem post sumptionem aquae frigidae corpore calescente vel vini vel alius fluidi occurrere inflammationem acutam mucosae in sanis hominibus, quod autem, quum rarius fiat, iam facit cencludere, aliis vulgaribus nocentibus hanc inflammationem rarissime vel nunquam contrahi. Ventriculi mucosa est organum, quod difficile inflammatur propter eius structuram et functionem, qua utitur, quamquam maximis noxiis prae ceteris corporis est subiecta.

Lex enim est in corpore ea, pendere morbum uniuscuiusque organi ex eius functione, quum enim aliud organum alio fungatur officio, aliter morbis affici debet, nam functio interrupta vel laesa est causa morborum, nisi destructione violenta organi structura sit eius fracta. Quod autem ventriculi mucosa neque, quod attinet ad eius structuram atque functionem facile corripitur neque destruitur, gravibus vero nocentibus opus est (vel nocentia minora agant in eam longum tempus) ut morbo acuto tentetur. Quare perspicuum morbos acutos mucosae ventriculi esse rarissimos, chronicos autem frequentissimos. Scriptores de gastritide mucosa acuta diversas sententias alere, mirum igitur non est, sententiam Broussais esse falsam satis iam elucet; hanc formam inflammationis non multo distare ab ea, quae iam descripta, quoque clarum.

Videamus igitur, quomodo possit exoriri inflammatio acuta sumpta quantitate qualibet aquae frigidae corpore quasi fervente. Tempore vernali aut aestate, qua sol plerumque ardet siccitasque magna homines, in primis qui colunt agros, maxima vexantur siti, sudore madentes; omnes membranae mucosae sunt siccae earumque secretiones normales minutae, unde et fames aestate deminuta. Necessitas potulentorum illicit homines, ut bibant aquam frigidam, cuius primus effec-

tus contractio mucosae atque sensus refrigerationis. Contracta mucosa impeditur, quominus sanguinis sufficiens quantitas affluat in eius vasa brevia atque effluat. Consistit sanguis. Resorpta aqua frigida vim habet in totum sanguinis circulum, qui producitur, unde cutis externa multum sudare prohibetur vel sudare omnino desinit. Recedente sudore sanguis secernendis materiis repletur, mutatur sanguis. Haec omnia satis demonstrant, inflammationem vel pulmonum vel mucosae ventriculi sequi necesse vel quoque mucosae pharyngis et oesophagi. Si ventriculi mucosa manet focus inflammationis ex adductis licet coniicere primum in ea exoriri debere sensum saucii atque ardendi, sensum premendi, interdum dolorem vehementissimum in regione epigastrica; tactu dolere hanc regionem. Quum pulmones sanguine scatant aegroti spiritum ducunt et reddunt difficile, superficiem thoracis atque regionis epigastricae denudare amant (Broussais tom I.). Ventriculus nausea atque vomitione inflammationis tensionem solvere studet; folliculi mucosae non inflammati succum gastricum segregantes ructus movent acidos; lingua sicca pura ruberrima interdum in media albide obtecta (Brouss. t. II. p. 507), interdum in eius marginibus ulcera serpentia (Anesley) ardente calore correpta, qui extenditur usque ad ventriculum. Sitis magna, appetitio deest, fastidium potulentorum tepidorum et irritantium, desiderium potionum frigidarum (Broussais tom I.). Quidquid sumpserunt id vomitu reiicitur plurisque in casibus; obstructio alvi plerumque adest (Broussais). Interdum incipit morbus signis cholerae (Broussais t. III. pg. 34). Vomitus interdum cruentus, interdum eiicitur vomitu materies fusca sanguine mixta cum fragmentis membranaceis (Abercromb. pg. 17.). Tussis intermittens (a secusseo Broussais t. II. pg. 482) pulsatim exoriens. Singultus adest, si cardia est inflammata (Stokes) et spiritus difficile ducitur et redditur (Broussais) dolor sentitur in regione hypochondriaca dextra, pyloro in-

flammato (Broussais). Abdomen non tensum, sine borborygmis. Dolor non semper eundem locum obtinet, interdum extenditur ad diaphragmatis partem, ad sternum, ad humerum ventriculo respondentem aut humeros, ad hypochondrium dextrum (Broussais, Abercromb. p. 16. et seq.)

Nonnullas horas post ingressum signorum localium primum frigus, deinde calor sequentur (Bischoff sgn.); si inflammatio modica, frigus saepius deest, semper autem calor (Broussais t. I. u. t. III.). Pulsus frequentissimus, varius variis in casibus (Abercromb. pg. 17. et sq.). Animi anxietas, visus singulariter mutatus, gemitus et suspiritus crebri (Broussais). Deminutio secretionum et cutis et renum primo, postea sudor copiosus acris odoris, si fit resolutio morbi, vel excreatio muci copiosi, mixti cum flocculis membranaceis, vel salivatio plurima et diarrhoea (Bischoff. Broussais). Diebus quatuordecim post ab initio morbi fieri sanationem, postquam molestiae eius paullatim evanuerit (Broussais). Saepius autem aegroti mortem obeunt primis diebus morbi vel ipsa prima die. Pr. hoffmann (opusc. path. pract. Dec. II. Diss. 7. p. 454). Historiam viri enarrat qui, postquam vinum ferventibus lapidibus coctum bibit animo irascente, quo inflammationem mucosae ventriculi contraxerit, e vita discessit sub convulsionibus post decem horas. Potator quidam, de quo Morgagni mentionem facit (Morg. Epist. IV. N. 8.) vitam reliquit die decima.

Nescio, num hic casus maiore cum iure sit addicendus inflammationi chronicae ventriculi mucosae cum exitu acuto an acutae; certum enim est in potatoribus fere semper degeneratam ventriculi mucosam; mucosa autem degenerata non ita facile vel nunquam contrahit inflammationem acutam; nam eo, quod pars quaedam est degenerata, viribus est orbata, quibus possit constituere inflammationem acutam. Cognitum quidem est in morbis chronicis signa acutissima causis non ita gravibus provocari, quibus natura organum

in integrum restituere conamen facit, praesertim quum sit organum maioris dignitatis pro vita conservanda, viribus omnibus quasi ibi collocatis. Quo in periculo instituendo vita saepissime brevi defunctos esse aegrotos multa exempla docent. Ipse casum observavi hac in urbe apud mulierem quandam, quae, ubi fructa est pomo tosto, dolorem sensit vehementissimum in regione epigastrica, quae regio ipsa tactu doluit. Praeterea eius lingua in marginibus erat sicca, in media maculis ruberrimis referta, quarum in circuitu superficies linguae erat albide obtecta. Magna aderat sitis atque desiderium aquae frigidae, quamquam omnia sumpta reiiciebantur. Aderant praeter haec alia signa, quae spectabant ad cerebrum atque pulmones, quae praetermittenda, quum iam antea morbo pulmonum, quem vocant Emphysema, laboraret. Methodo antiphlogistica adhibita nonnullis diebus omnia signa quae mucosam aegrotam esse testarentur, evanuere. Neminem esse, qui ante hunc morbum mucosam ventriculi huius feminae sanam fuisse putaret, mihi persuasum habeo; eo fortasse mecum consentiant complures, adfuisse iam antea inflammationem occultam chronicam mucosae ventriculi, quod et eo fiet clarius si addidero, feminam istam longo tempore ante quibusdam intervallis conquestam esse de dolore in regione epigastrica de sapore amaro interdum acido vel salso.

Fortasse illam historiam viri, de quo agit Morgagni iniuste interposui chronicam inflammationem, quum Naumann, praeceptor mihi amatissimus, eam adiecerit inflammationem acutam (in libro clinic. t. I. pg. 434.) neque tamen meae sententiae sit venia, si peccaverim. Obductio vero cadaveris, quam instituit Morgagni quaeque dabat inflammationem erysipelatosam, mihi contradicere videtur, cui addam, fieri posse ut spiritus vini satis magna copia sumpta sub quibusdam conditionibus inflammatio acuta mucosae ventriculi exoriatur (Cantstatt). Ne obliviscamur me hercle

saepius in morbo articulario, in haemorrhoibus, in morbis uteri etc. signa inveniri, quae gastritidem acutissimam indicent; Metastasi id fieri dicunt medici; cur autem ventriculus afficitur, nonne quod eius vires variis causis iam sunt deminutae vel etiam fractae? Nonne erysipelas saepissime est chronicum cum stadiis acutis; nonne semper erysipelas corripit homines quibus inest dispositio quaedam Erysipelatis? Numne spiritus vini in casu a Morgagni allato fuit causa, cur erupserit morbus latens? Si in sanis magna quantitate spiritus vini existit inflammatio mucosae acuta, veneficio provocata est, de qua iam egimus.

Mors longius protrahitur, si exulceratio mucosae exoritur; dolor tum adaugeri atque sensus caloris in regione epigastrica una cum his appetitio desinere dicitur; contra sitis magna diarrhoea in dies animadvertuntur (Annesley) Postea saepius vomitus cruentus, purulentus, removentur vomitu materies fuscae, saniosae vel caldae cacaoticae similes, quae materies interdum tam acres, ut oesophagum saucium reddant.

Omnia signa gastriditis mucosae acutae, quae attulimus, si inter se comparaverimus, nonnulla videbis attinentia ad ventriculi mucosam, alia ad alias partes, quibuscum consensu est coniuncta.

Lingua colore et secretione mutata, eius ulcera serpentia sitis magna, desiderium aquae frigidae, fastidium ciborum ructus, nausea, plerumque vomitus sumptorum, dolor in regione epigastrica, qui premendo adaugetur, sensus ardendi atque siccitas mucosae oris ventriculo tenus et ultua, dolor in humero eiusdem lateris vel in utroque humero, obstructio alvi, febris, retentio urinae, haec omnia, quaeque antecesserunt nocentia, dummodo pleraque adsint, mucosae morbum satis accurate significant.

Etsi interdum signa gravia morbi dignoscendi causa defuerint, tamen morbi cognitionem certam esse contendo,

adhibitis eis, quae accesserunt noxiis, quum tantum dolor iste atque vomituritio adsit.

Alia eademque difficilior est quaestio, quomodo distingui possit inter inflammationem mucosae, inter telae interstilis inflammationem atque musculosae membranae ventriculi. Inflammatione posita telae interstitis sine ulla affectione aliarum ventriculi membranarum (denegant eam fere omnes scriptores) his signis erat dignoscenda: tela interstes, ubi inflammata est vim elasticam atque facultatem extendendi amittit (Bicheed) cur post coenam, ubi ventriculus est extensus sensus molestus suscipi debet sine perturbatiene autem coctionis. Mox autem materie rubra non pellucida iuri gelato simili impletur, cui non multo post pus adiungitur (Gendrin. A. s. p. 15 et 17. 19). Quibus efficitur, ut et mucosa et musculosa premantur et irritentur; musculosa se contrahit praesertim ventriculo pleno cuius contractionem vomitus vel certe ructus sequitur. Dolor vel potius sensus premendi sentitur ab aegro in regione epigastrica, nausea; mucosa irritata maiorem copiam muci et succi gastrici secernit, unde appetitio adaugetur. Superficies quae plus quam solet segregat plus quoque desiderat, unde sitis maior, provocatur. Irritata mucosa e consensu plus secernere cogit mucosam linguae, quae muco obtegitur Secretio mucosae ventriculi, quamquam adaucta, non facit, ut vires concotcionis crescant, quare pars succi gastrici non protrahitur in usum, unde variae molestiae in cibis coquendis, saporacidus Succus gastricus dissolutus, si vomitu non removetur, accumulatio nem aeris facit in ventriculo, unde tenditur, dolor ructus exoritur; stomachosus est aeger. Puri satis magna copia in tela cellulosa collocata extensa mucosa atque extenuata perforatur, ut materies ista in cavum ventriculi effundatur vomituque eiiciatur (Bokitansky). Haec iam sufficiant quibus discernamus inflammationem telae interstitis ab ea mucosae ventriculi; quae forma inflammationis iure fortasse erysipelas

ventriculi nominetur. Sin autem musculosa ventriculi, quod quidem rarissime fit, inflammatur, ea fit ruberrima, crassior quam alias esse solet, contrahitur, qua contracta ventriculi cavum angustius redditur (Gendrin. tom. II. pag. 193). Saepius est sermo apud aegrotos et medicos de spasmo ventriculi; quisque dolor fere ventriculi hoc nomine iam est ornatus, nec tamen de musculosa ventriculi cogitatur. Spasmus est contractio irregularis fibrarum musculorum; ubi igitur musculi actione nervorum vel alio irregulariter contrahuntur, spasmum exoriri necesse. Quum musculi tempore utuntur requiescendi, spasmum licet adesse modo intervallis. Musculosa ventriculi ad partem inflammata causam praebet spasmi, qui sensu dolente et contrahente in regione epigastrica sursum ad columnam vertebrarum atque oesophagum protrahitur manifeste apparet, sensim sensimque crescens atque decrescens (Nasse). In tangenda atque premenda regione epigastrica dolor minuitur; vomitus deest, appetitio adest, concoctio, quum mucosa primo quidem non sit affecta, bona, (Scharlau) alvus est obstructa. Ubi autem inflammatio maiorem gradum agressa, dolor continuus in regione epigastrica dorsum versus; ventriculus contractus tactu dolet, minorem copiam ciborum suscipere potest, unde saepius vomitus ubi cibi sumpti vel si concoctio ciborum incepit, quia concoctio musculosam irritat. Unde fit macies in dies adaucta. Si manum imposueris regioni epigastricae, ventriculum contractum senties ita, ut pulsum arteriae abdominalis animadvertere possis. Primo igitur spasmus et dolor, qui tangendo et premendo decrescit, postea vomitus certis temporibus, tandem ventriculus contractus facile, faciunt discimen inter inflammationem mucosae et musculosae (Naumann t. I. p. 430).

Discerne inflammationem mucosae ab ea serosae ventriculi quum fere nunquam observetur (Abercrombie) operae non est pretium; dolor superficialis vehementissimus in

regione epigastrica, quae lenissime tangendo dolet, appetitio quum primo non deest concoctio bona, cognitionem huius morbi faciunt facillimam. Aliae vero partes inflammatae gastritide acúta ventriculi confundi fortasse possint; nominem duodenitidem pancreatitidem, quae quum antea non sint allatae, hic sunt (disputandae) agendae. Situs duodeni, quum discrepet ab eo ventriculi efficere debet ut, si duodenum est inflammatum eius dolor alium locum obtineat, quam ventriculi, sentitur, praesertim post cibos in chymum coctos, ubi ventriculum transierunt in duodenum in regione, quae respondet duodeno se vertens ad renem dextrum. Dolor est semper vehementissimus secans potius quam premens (Abercrombie p. 129.). Vomitus saepius sequitur dolorem, qui quoque deesse potest; removentur si vomit aegrotus cibi iam corti atque bilis et succus pancreatis; ductus choledochus cuius aperturae saepius inflammata mucusa lumen est deminutum vel clausum, icterum saepissime provocare debet. Accedit ut interdum materies adiposae duodeno laborante per anum educantur (Abercrombie). Concoctio ciborum atque appetitio initio quidem est bona, lingua pura, non sicca, interdum obtecta. Sapor saepius amarus; macies magna, mors non diu desideratur. Distinctio ergo inter gastritidem mucosam ab inflammatione duodeni est facilis; difficultas discernendi autem fit maior, si ventriculi pylorus peccet. Eiectus chymus tum nos nihil docet, bilis quoque eiicitur ore, cum chymo autem non mixta; vomitus semper nonnullas horas post coenam adest, deest icterus, lingua rubra, sicca et quae sunt alia eiusmodi. Quae si quis omnia animo ac ratione lustraverit nunquam eum in eo esse futurum puto, ut res diversissimas confundat.

Pancreatis affectio quum sit rarissima, tamen nonnulla signa praebet, quae quoque cernuntur in inflammatione ventriculi mucosae. Dolor profundus transverse currens secundum situm pancreatis, magis in dorso, quam in abdomine

vomitus aquosus qui quoque deesse potest; interdum diarrhoea salivalis, nausea atque ventriculo vomitus pleno, mox macies maxima, hydrops. Lingua saepius sicca, interdum secretio glandularum oris salivalium est adaucta, sitis maior quam alias, obstructio alvi interdum (Abercrombie p. 516 et seq.) (Nasse). Dolor, si adest, vomitus aquosus, secretio glandularum oris, macies maxima faciunt ergo distinctionem inflammationis pancreatis ab ea ventriculi mucosae. Inflammationem diaphragmatis, hepatis lienis et coli transversi ommittamus, quum facillimum sit medico, cogitanti de conditionibus praesentibus aegrotorum hasce partes inflammatas accurate distinguere a mucosa inflammata ventriculi. Sin autem Gastritis mucosa est coniuncta[1], quod fere semper invenitur (Broussais, Orfila) cum inflammatione mucosae duodeni, utriusque organi affecti signa liceat adsint; dolor tum ampliorem locum obtinet, vomitus et Diarrhoea simul cerni possunt vires in horam collabuntur, mors brevi vitae finem facit (Broussais).

Longum est plura verba facere his de rebus, transeundum nunc est ad inflammationem chronicam mucosae ventriculi.

DE GASTRITIDE MUCOSA CHRONICA.

Quo sunt rariores morbi acuti ventriculi, eo crebriores eius morbi chronici; per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes saepe tractati sunt, tractanturque sub nominibus diversis, iisdem saepius falsis, quorum nomen Dyspepsia copiam morborum ventriculi complectitur. Wilson et alii nominant conditionem mucosae ventriculi dyspepsiam, quae ab aliis iure vocatur inflammatio chronica. Sententiarum varietatem miram non dicam, si animo cogi-

tavero, quum sint diversissima noxia in ventriculum agentia atque frequentissima, qualia sint nullo in alio corporis organo, ne in cerebro quidem. Ventriculus est organum idiosyncrasiae, quae est alia in aliis hominibus; praeterea non ita sensibilis ventriculi mucosa, ut quodque nocens eam arripiat, praesertim quum sit sana; propter eius consensum cum aliis corporis partibus non facile corripitur morbo, quum organa, quae modo ex consensu pati videantur, saepius eo morbo afficiantur, qui minitetur parti primae affectae. Postea vero, si morbus longius duravit organa, quorum functiones tantum sympathia fuerunt perturbatae, ipsa morbo capi solent, quo liberetur pars, quae prima fuerit capta. Exempli gratia: pro ventriculo in morbum quendam trahuntur hepar, lien glandulae meseraicae, cor, pulmones et alia organa (Wils. Philipp p. 45 et sequent.).

Scio quidem consensu morbum in organo primo affecto adaugeri atque ali, quali dispositione adhibita nescio.

Hisce de omnibus mihi meditanti necessarium videtur maximum discrimen inter medicos in morbis ventriculi diiudicandis, quum dispositio morbi, constitutio aegroti, conditio vitae causae sint tanti momenti, quibus res diversissimae prodeant in lucem. Qua re libenter concedam Abercrombie coniicienti, gravissimos ventriculi morbos interdum usque ad exitum eorum lethalem parva vel nulla signa praebere (Abercrombie p. 20.). Quanta ergo cautio sit adhibenda in morbis ventriculi verba huius viri peritissimi nos docent; etsi Broussais nihil aliud fecisset, nisi animos advertisset ad morbos ventriculi accuratius atque diligentius observandos dignissimus esset, qui ad coelum tolleretur. Quodnam organum pro vita conservanda confirmandaque maioris est dignitatis nisi ventriculus? Pluribus verbis commorari hac in re igitur liceat.

Gastritis mucosa chronica inflammationem acutam subsequitur, vel alio modo gignitur; primo inflammatio acuta

non est soluta, eius signa perdurabant partim deminuta partim mutata (Broussais). Inflammatio acuta, quae antecessit quin habuerit exitum certum sufficiat hoc in casu ad inflammationem chronicam dignoscendam. Cuius vero cognitio sit difficillima, si aliter est exorta.

Quum enim inflammatio chronica ventriculi mucosae non nisi in corporibus valetudine iam carentibus inveniatur, plerumque cum aliis morbis coniuncta, quumque saepius aliis affectionibus ventriculi adiungatur, novi quid non pronuntiaverim si retulero, eius signa omnibus in casibus eadem cerni non posse. Attamen eam quoque fere in casu signa talia praebere puto, quibus fieri possit, ut morbum cognoscamus, quae opinio mea in postremum vera prodeat.

Functionum perturbatio alicuius partis quum semper sit causa sensus cuiusdam abnormis, quod ea concentus partis secum ipsa totoque cum corpore est dirutus, necesse non esse contendo, ille sensus abnormis parte aliqua morbo laborante, dolore in parte affecta exprimatur, quamquam dolor sit frequentissimus. nisi nominemus unumquemquem sensum abnormem, dolorem vel gradum quemdam doloris. Quare in inflammatione chronica mucosae ventriculi modo dolorem, modo sensum molestiarum, sensum contrahendi vel premendi interdum, in regione inferiore thoracis vel intima in regione epigastrica adnotatos a scriptoribus invenimus. Qui dolor dorsum versus extenditur, aeque atque eo partes contrahantur inter ventriculum et dorsum sitas. Increscunt interdum isti sensus abnormes, fit dolor ardens, pulsatim exsistens nonnunquam, in regione epigastrica, saepius adaugetur, si regionem istam digitis profunde presseris (Abercrombie pag. 21 et seq., Broussais, Debreyne, Osborn, Gendrin t. I. p. 530. Spitta etc.).

Dolor non semper adest, non semper iisdem temporibus; saepius adest inter cibos coquendos, quibus concoctis evanuit; valerem, inquit aegrotus, nisi alimentis mihi opus esset

(Abercrombie pg. 21). Quare aegroti saepius abhorrent cibis, famen ferre malunt, quam cibis satiari; quo facto macies sequi debet, ventriculi lumen minuitur contractione (Broussais). Si inflammatio modo ad parvam partem mucosa extensa, aegroti saepius queruntur tantummodo de molestiis quibusdam parvis inter cibos concoquendos, de sensu plenitudinis in regione epigastrica; de sensu lassitudinis, animi laxitate (Osborn, Broussais, Wilson). Non rarius inveniuntur aegri, qui ad mortem usque nullis fere molestiis cruciabantur. (Abercrombie, Morgagni, Gendrin). Alii queruntur de sensu extensionis vel de sensu quodam ac si ventriculus flatibus intumescatur inter coctionem (Broussais). Ventriculo pleno et vacuo isti sensus abnormes, qui saepe in dies magis magisque increscunt, non desiderantur, quibus animi tristitia fiat maxuma et perpetua eius taciturnitas, quam animi conditionem melancholiam dicunt (Broussais). Van Deen affert casum, in quo dolor incipiebat duas vel tres horas post coenam durans quatuor per horas; simul cum dolore aderant animi anxietas atque conamen vomendi facies decolorata, manus et pedes frigidi. Premendo in locum dolore affectum dolor decrescebat; nunquam dolor aderat post prandium aut cibos vespertinos comesos (Naumann pg. 430).

His commemoratis satis clarum, concoctionem esse plurimis in eiusmodi casibus perturbatam et inde appetitionem pro maiore aut minore gradu inflammationis. Longum tempus si aderat inflammatio sin, est gravis omnino ciborum appetitus desideratur, sitis tum est fere insatiabilis (Broussais, Graves).

Interdum appetitio bona, ardor edendi nonnunquam, quo in casu nervi vagi peccent; desiderium ciborum ac potulentorum diversissimorum, in primis salsorum (Morgagni, Broussais), cibi e farina parati interdum melius tolerantur quam caro (Osborn); alvus restricta plerumque, iners inter-

dum vel normalis, nonnunquam alvi profluvium (Lesser). Abdomen tensum et non tensum esse potest (Broussais). Lingua ut in gastritide mucosa acuta, rubra in marginibus praesertim, sicca vel albide obtecta vel in marginibus parvis ulceribus impleta (Broussais Ossborn, Abercrombie). Aliae quoque mucosae rubefactae (Broussais). Quum pars succi gastrici non consumatur ad cibos coquendos quod concoctio ad partem certe est interrupta, quum iusto tempore non finiatur coctio, quum ipse sit mutatus muccus gastricus, fermentatio acida facile exoriatur in superficie ventriculi mucosae. Aeris ructus igitur vel fluidorum aquosorum male olentium vel rancidorum acidorumque (Naumann pg. 437). Ructus saepe dolorem movet, adest interdum inter coctionem; ubi ructus rerum acidarum post quodlibet sumptum est inventus, causa adest, cur mucosam aegrotam statuamus (Abercrombie pg. 61). Fastidium, nausea, labor vomitionis ciendae, vomitus comesorum post coenam vel modo ventriculo plenissimo vel nonnullas horas post cibos inductos, quo interdum aeger levetur (Broussais, van Deen). Quotidie nonnunquam vomitus fluidi aquosi vel albumini similis, vitrei pellucidi (Andral). Vomitus saepe deest, vel temporibus diversis exoritur (Abercrombie 105. etc.). Nonnuli aegroti queruntur de tussi vehementi, convulsiva, quae amare dicitur adesse nonnullas horas post coenam, quaeque solvi exscreatione muci viscidi vel ructibus saepius revocatis (Broussais).

Color faciei lividus, pallidus, vultus severus ac tristis, oculorum acies deminuta (Broussais) aetate iam seniores apparent aegroti, emacrescunt; macies si valde adaugetur, si color cutis pallidus cerae albae similis, profusionem sanguinis e ventriculo per alvum suspicamur (Graves). Mulierum menses exigui, irregulares (Broussais). Lotium interdum parvum, turbatum, serosum, obscurum, interdum sedimentum faciens mucosum, normale fere interdum (Abercrombie, Broussais). Dolor capitis atque sensus defatigationis saepe post coenam (Broussais). Affectio cordis saepissime in

gastritide mucosa chronica invenitur (Abercrombie) sed quoque in aliis ventriculi morbis, quae cordis affectio plerumque evanuit, ubi ventriculi morbus remotus fuit. Si haec inflammatio mucosae ventriculi chronica non fuerit soluta iusto tempore, eam sequuntur exulcerationes, indurationes etc. (Abercrombie). Morgagni epist. XXIX un. 12. Quarum signa sunt nominanda, quibus eas discernamus a gastritide mucosa. Nulla fere affectio ventriculi mucosae facilius confundatur gastritide mucosa chronica, nisi ulcus vel ulcera in ventriculi mucosa, quia inter se habent plurima signa communia saepeque loca circum ulcera sunt inflammata. Neque tamen ulceribus sunt nonulla signa propria, praesertim quum iam sint maiora facta. Dolor in loco destinato, qui premendo adaugetur, intermittens, quibusdam corporis positionibus fit acerrimus, dolor pungens, corpore quiescente minutus (Graves, Osborn). Aura foetida interdum lingua saepius non mutata. Vomitus cruentus, diarrhoea cruenta, nonnunquam vomitione eiiciuntur res purulentae, saniosae fuscae, sedimento coffeae non dissimiles; vomitus exoritur certis temporibus, ubi pylorus ulcere est praeditus post coenam; in cibis sumendis, ubi cardia ulceribus est affecta (Abercrombie pag. 33. 36 cl. Dodoens med. abservat. exempl. cap. 25 Pet. Frank Morgagni Gendrin. 558 et.)

Spasmus ventriculi saepius adest (Naumann p. 442). Faucium mucosa nigricans saepe. Dolor igitur, vomitione eiecta cum aura foetida dant distinctionem inter inflammationem sine ulceribus et inflammationem cum ulceribus; sine inflammatione enim nunquam ulcera vel rarrissime exsistant in ventriculi mucosa. Initio vero sit difficillima cognitio inter ulcera et inflammationem puram, dolor ille supra memoratus fortasse ulcera adesse confirmet, quorum vero cognitio maximi est momenti, cum iisdem saepius perforatio ventriculi provocetur. Induratio ventriculi mucosae, his signis discernatur ab eius inflammatione chronica: antecessit inflammatio mucosae non soluta, desunt signa ulcerum aliarumque ventriculi affectionum, si digitum imposueris regioni

epigastricae locum induratum saepe senties; aegroti, qui plerumque sunt potatores vel scrofulosi affecti raro vomunt, dolor non est vehemens, appetitio saepe bona. Si pylorus est induratus vomitus est creber (Abercrombie. Signa inflammationis saepe iam adsunt, saepe signa ulcerum. Interdum eiiciuntur materiae viscidae abumini similes (Andral). Quum vero induratio sine inflammatione rarissima, quum plerumque cum ulceribus sit coniuncta, eius cognitio valde dubia. Facilius vero discrimen licet facere inter inflammationem mucosae atque eius cancrum. Hereditas color faciei, aetas plerumque senilis, vomitus periodicus, vomitione et per anum eiecta, tumor, qui premendo sentitur, dolor vulgo lancinans, lingua fuligine saepe obtecta, haec omnia morbi cognitionem facilem faciunt (Abercrombie, Broussais, Morgagni). Quae signa parvam praebent differentiam pro locis ventriculi cancrosis; pyloro dilatato vomitus deest, deest toto lumine ventriculi amplificato, materies aquosa fuligine effecta tum per anum removetur (Morgagni Epistol. XXX). Eiecta interdum olent carnem putridam (Morgagni Epistol. XXVIII). Gangraena ventriculi si adest dolor exoritur vehementissimus, vomitus humoris attramenti simillimi, diarrhoea cruenta (Morg. ep. XXIX et XXX) desunt signa cancri. Gastromalacia, quae saepius in phtisicis invenitur signa praestat fere eadem, quae ventriculi perforatio, cuius signa hic enumerare, vanum; sufficiat attulisse, gastromalaciam posse exoriri sine et cum inflammatione; initio morbi appetitionem evanescere, maciem adesse magnam, sensum premendi ac gravedinis in regione epigastrica vomitum interdum, dolorem raro vehementem, valetudinis imbecillitatem viris in dies magis magisque decrescere, mortem subitam vel lentam etc. dicunt (Abercrombie, Cantstadt.). Paralysim ventriculi indicat fames insatiabilis, sensus plenitudinis, gravedinis in regione epigastrica; vomitus deest, modo labor vomendi, alvus est adstricta (Morgag. Epist. LXV.). Extensio ventriculi atque contractio facile cognoscuntur. Ventriculum duplicem obser-

vavit Morgagni (Epist. XXX.) cuius signa fuisse dicuntur vomitus materiae viscidae albae, quo liberaretur aegrota variis molestiis, quibus erat subiecta; in latere sinistro aegrota dormire nequiebat; alvus erat obstructa febris aderat et palpitatio cordis sub finem vitae. Alliis in eiusmodi casibus vomitus semper defuisse dicitur. Tubercula modo in pulmonibus sunt inventa et tunc cognitio tuberculorum in ventriculo tantum verisimilis esse potest (Abecrombie). Haec omnia si accurate perpenderimus, non difficile fore puto, ut plerisque certe in casibus nobis procuremus cognitionem gastritidis mucosae chronicae; nonnunquam autem eius cognitionem esse difficillimam, nemo est quin dubitet.

AETIOLOGIA.

Infinitum prope et innumerabilem numerum nocentium in stomachum impetum facere nemo est, qui neget, quae autem omnia enarrare supervacuum, quare nos contineamus rebus enumerandis nocentibus modo gravissimis. Venena, ea praesertim, quae partes corrodant, gastritidem mucosam acutam movere posse, iam diximus; quibus vero venena, quae sint, quemque habeant effectum in partes correptas singularem, cognoscantur, ea nos docuit Orfila, cuius librum de veneficiis etc. legendum puto, si quis rem accurate discere velit. Praeter venena laesiones et vulnerationes ventriculi sive externae sive internae etsi fuerint parvae, inflammationem mucosae aliarumque membranarum ventriculi contrahere possunt. Homines, qui fame aut siti periere obductione instituta praebuerunt mucosam ventriculi aliasque corporis partes inflammatas. Potulentis frigidis vel fervidis varii generis corpore calido vel animo sumptis irato saepe iam exstitit inflammatio mucosae ventriculi acuta (Haller, Frank, Broussais) Spitta, Autenrieth Physiolog. §. 1061.). Hernia ventriculi incarcerata et inde inflammatio ventriculi homines interdum vitam reliquerunt. Post febres gastricas, typhosas, post variolas, morbillos, post

affectiones graves cerebri et medullae spinalis, post aquae timorem, post pneumoniam acutam, saepius inventa est inflammatio ventriculi mucosae (Morgagni Epist. XXI. N. 30., Spitta etc.).

Crebris animi motionibus, ciborum ac potulentorum maiori copiae eorumque maximae diversitati saepius inest causa, cur exoriatur gastritis mucosa chronica (Broussais, Abercrombie et alii).

Inopia alimentorum, morbus articularius, herpes, rheumatismus, duodenum inflammatum, Erysipelas, morbi hepatis, lienis, pancreatis, uteri, coli transversi, tuberculosis, processus xiphoideus intus versus saepius inflammationem mucosae ventriculi chronicam provocant (Osborn, Abercrombie, Broussais, Morgagni, Autenrieth etc.). Quibus addere possim menses interruptos, ingenii graves labores, irritationem continuam nervi vagi, emetica saepius data (Gendrin, Wilson) morbus haemorrhoidarius et quae sunt plura eiusmodi. Hisce iisdem breviter narratis iam satis perspicuum quanta et qualia sint noxia, quibus ventriculus afficiatur cumque non saepius quam soleat aegrotare, in miris ponam.

PROGNOSIS.

Inflammationes partium corporis humani plerumque non sunt morbi mali ominis, etsi sint graves, dummodo iusto tempore a medico provocato sint cogniti. Signa eorum maximam ad partem talia, quibus aegroti cogantur ut medicum auxiliumr ogent; quo accedit, ut remedia in morbis inflammatis adhibenda quoad spectet ad eorum effectum, optime callamus. Quae res autem aliter se habet in morbis ventriculi inflammatis; quum enim ventriculus omnia suscipiat quae corpus et alant et medeantur corpori morbo affecto, si vero inflammatione correptus est ventriculus, omnia reiciat vomitu et alimenta et medicamina multis in casibus, caussa est, quod morbos inflammatos ventriculi

in universum mali omninis esse statuamus; porta quasi est clausa, qua subsidio veniamus ventriculo morbo correpto. Quare permoti hostem permulceamus, ne fortissimus factus demoliatur vitae fila primis morbi diebus. Liceat desit vomitus, tamen res mala, quia inflammata vel etiam diruta ad partes vel degenerata mucosa ventriculi non bene solvit medicamina atque resorbet; mucosa epitelio modo orbata iam mitibus remediis irritatur, quia saucia; quare magna pars remediorum optimorum ad inflammationes debellandas in usum trahi nequit, in inflammatione certe mucosae venenis ac potulentis iniusto tempore sumptis contracta. Nervorum copia ventriculi eorumque connexus cum cerebro et medulla spinali tantam vim habent in nervos ventriculo inflammato, qua phaenomena periculosissima procedant, quibus vita omni temporis momento fluctuet inter spem et meum. Magna anhelatio initio inflammationis acutae, anxietas, tussis, membra inferiora frigida sunt signa mali ominis. Signa vehementissima non semper pessima sunt, quamquam sint mala. In inflammatione acuta venenis exorta id malum acervatur super mala, quod maior vel minor pars veneni resorpta sanguinem et inde nervorum vires permutat atque destruit. Utrum parva vel magna copia viri sit sumpta, nec ne, maximi ergo est momenti; morbi exitus semper mortifer, si viro sumpto magna pars mucosae ventriculi est destructa, si membrana eius musculosa est correpta (Rokitansky tom. III.). Bonus eventus, modo Epitelium mucosae sit diritum; parva pars mucosae destructae viribus naturae restitui potest (Bokitansky). Si partes membranarum ventriculi vomitu eiiciuntur, mors semper sequitur.

Inflammatio mucosae ventriculi laesionibus provocata, semper periculosa, quamquam eius exitus non semper letalis Gangraena si subsequitur inflammationem eventus pessimus; maius periculum imminet aegroto, si cardia inflammata, quamsi corpus vel fundus ventriculi sit inflammatus. Anxietas magna, animus depressus semper sunt mali ominis, etsi alia signa morbi sint minus gravia. Gastritis mucosa

acutissima, si primis diebus non solvitur exitum habet letalem (Broussais). Signa morbi si sensim sensimque decrescunt, si animo viget aegrotus, bonum; bonum si secretiones per anum aliis morbi signis deminutis augentur; aegroto haud ingratum accidit, reliquas secretiones corporis adaugeri (Broussais). Gastritis mucosa chronica eo fit periculosus morbus, quod medicos saepe decipit et remediis male adhibitis in deterius saepissime mutatur; quo accedit, ut mucosa crebro iam sit degenerata, si aegroti consulent medicum. Ulcera, abscessus induratio etc. aliaque mala, quae sequantur inflammationem chronicam mucosae ventriculi morte praematura aegrotos absumunt. Inflammatio chronica si provocata mensibus vel fluxu haemarhoidario vel aliis secretionibus interruptis necessariis bonum habere potest eventum, ubi illae secretiones sunt restitutae. Signa acutissima, quae interdum exoriantur in gastritide mucosa chronica, morbi finem facere possunt, quamquam mors iis nonnunquam acceleretur.

THERAPIA.

Omnia remedia referre, quae medici adhibuerint inflammationibus mucosae ventriculi curandis, in animo non habemus; afferenda tum essent non solum remedia antiphlogistica verum etiam remediorum tonicorum adstringentiumque vel etiam nervinorum magna pars, prăesertim quum sermo fieret de inflammatione mucosae ventriculi chronica (Broussais, Abercrombie). Qui labor esset hic inutilis; quare remedia modo nominabimus quae, auctorum optimorum auctoritate freti, in inflammatinibus ventriculi mucosae curandis maxima fuerint utilitate.

Rerum tractandarum modum alium fore in gastritide mucosa acuta, aliam in chronica, acutam et venenis et alisi noxiis contractam eodem consilio curari debere, quisque intelligit, quare exordiamur dicere de gastritide mucosa acuta.

DE GASTRITIDE MUCOSA ACUTA.

Quum in inflammatione ventriculi mucosae saepissime res nocentes, quae eam provocaverint, pari se vi porro praebeant primum eis removendis operam navare debemus, ne, si sint venena, resorbeantur, sin autem res, quae ventriculi mucosam vulneraverint, ut removeantur vel quidem efficiatur quibusdam remediis adhibitis, ne noceant amplius ventriculo vel aliis corporibus partibus. Vis medicatrix naturae, si iam vomendo venena sumpta eiicere conamen instituit, remedia porrigamus aegrotis, quibus vomitioni auxiliemur. Sumant aegroti magnam copiam aquae tepidae, olei, decocti muci, iterum atque iterum, quibus rebus ventriculus extensus cogatur ut vomat, ut venena diluantur atque involvantur. Adhibeatur antlia ventriculi, si aegrotus vomere nequeat viribus naturae, quae compensanda emeticis, si non praesto sit (Orfila t. I. p. 17. 41. etc.).

Radix ipecacuanha optimum vomitorium multis in casibus veneficii; sumant aegroti quindecim vel viginta grana rad. ipec. pulv. omni duodecima horae parte. Zincum sulphuricum, cuprum sulphuricum et tartarus emeticus porrigantur aegro, si venenum devoratum irritans non est (Orfila pag. 17. t. I). Alvum laxare clysteribus bonum. Vomitus, si est vehementior, mitigetur nonnullis guttis tincturae opii crocatae (Orfil. p. 41.); potio e thea viridi cocta contra venena metallica sumenda est, praeterea albumen, mel, saccharum. Simul cum his antidoti sunt adhibendae, ubi venenum a medico cognitum est. Acus devoratae, numma et similes res nocentes vomitu non sunt removendae, sunt potionibus mucosis, oleosis involvendae, quibus superficiei ventriculi internae atque intestinorum parcatur. Viribus naturae tales res nocentes saepe per anum per aliasque corporis partes sunt eiectae. Quid autem faciendum, si medicus in auxilium vocatur nonnullas horas post veneficium, si venenum iam tota vi egit in membranam mucosam ventriculi aliarumque partium, si signa iam adsunt gastritidis mucosae acutissimae? Omni modo debellanda tum est in-

flammatio; utrum hoc in casu venam secamus nec ne, lis est. Quidam medici omnino non probant sanguinis missionem per venam secatam, alii autem sanguinem miserunt vena incisa in gastritide mucosa acuta iterum atque iterum.

Verum in medio est positum, licet venam incidere et non licet; ubi congestio sanguinis in cerebro, in pulmonibus vel in aliis corporibus, si corpus aegri alias firmum et valens, si eius vires nondum fractae, vena incidenda (Broussais). Sanguinis autem detactio non permittenda, si corpore infirmo vel sin etiam moriturus aegrotus, etsi sint signa acutissima morbi (Broussais). Num sanguis fluat e vena, quoad animus relinquit aegrotum, num repetenda sanguinis missio nec ne in universum dici nequit.

Sunt medici, qui contendant maxime sanguinis detractionem in nonnullis utilissimam fuisse (Naumann 485) neque tamen modum esse tenendum puto in sanguine detrahendo, quia vires quasi corporis cum sanguine detracto sunt detractae. Quantitas sanguinis quidem facile restituitur. sed non eius qualitas, omnis sanguinis missio reddit hominem infirmiorem neque unquam erit talis, qualis fuerit ante sanguinis missionem. Homines, quibus quotannis vena secatur ad summam senectutem venire, bene scio, qua de re ne autem mihi reiiciatis sanguinis detractione homines non fieri debiliores. Primum rarissimum homines inveniri senes, quibus saepe vena secta, morte praematura perierunt corpore ac animo debilitati; qui adepti sint senectutem, laborabant certe ultimis vitae annis molestiis maxime variis, quibus valetudo eorum magnam ad partem esset perturbata; arcebant se res nocentes, quibus alii se dederint timentes ne quid detrimenti caperent, quum iam sanguine amisso viribus essent fracti.

Quare contigit eis, ut vitam longam fragilem assequerentur. Quinam fuerit terminus vitae eorum, si sanguinem non amisissent et res nocentes, quantum possent effugissent definire nequeo, neque qui sit in universum hominum vitae terminus. Sit igitur cordi unicuique medicorum, ne unicam sanguinis frustra mittat atque heluetur.

Hirudines semper in gastritide mucosa acuta in regione epigastrica ad decem usque triginta sunt ponendae (Broussais) plerumque sine sanguinis missione per venam sectam. Initio morbi, si aegrotus omnia vomendo eiicit, nonullos dies nulla medicamina stricte sit dicta interna aegroto sunt porrigenda (Broussais); tum applicanda sunt cataplasmata e farina seminum lini parata hirudinibus adhibitis, ad epigastrium, quibus addatur tincturae opii magna dosis. Si cataplasmata propter magnam sensibilitatem regionis epigastricae non feruntur, sinapismi vel emplastrum cantharidum ponendum in regione epigastrica (Naumann 486). Aegroti si queruntur de sensu magni ardoris in epigastrio glacies ad epigastrium et caput est applicanda (Broussais); regio epigastrica praeterea conspergenda aethere sulphurico; sinapismi ad membra inferiora, boni; infusio iu oleo, cui additum morphei acetici grani quadrans vel granum dimidium ad vesperum adhibenda, interdum bona (Naumann t. I. pag. 487). Balnea tepida, pediluvia commendat Brousais. Inter vomendum aqua frigida, pillulae e glacie paratae sunt sumendae ab aegroto, quibus vomitus iam saepe sistit. Aqua amygdalarum amararum, aqua laurocerasi, aqua calcis, opium, morpheum, infusum e thea viridi paratum, extractum belladonnae, mixta cum remedio mucoso interdum bona ad vomitionem debellandam (Orfila, Naumann).

Ubi vomitus cessit, potulenta mucosa, emulsio ex amygdalis parata, aqua frigida, acida, aqua diluta, decoctum malvae sunt sumenda (Broussais) alvum solvere tum licet oleo ricini.

Spasmi ubi adsunt, ubi membra inferiora frigida, balneum tepidum, fomentationis tepidae ad membra inferiora applicandae (Broussais). Signa morbi, si primo vel secundo die morbi non decresunt, malum; clyster, tum e quindecim granis moschi cum nonullis unciis infusi e siminibus lini qarati adhibendus (Naumann p. 488). Si signa, quae nervos vehementer affectos significent, in ea leniter est agendum (Broussais). Ubi morbus est solutus aegroto iusculum carnis est porrigendum, quod primis diebus con-

valescentiae repetendum (Broussais). Carnem, panem non sumat convalescens, sed mucosa et alia eiusmodi. (Broussais). Si regio epigastrica iam irritabilis, glacies ad eam applicata bono eventu fuisse dicitur (Naumann pag. 488). Abscessus vel suppuratio, si inflammationem subsequuntur lac aqua dilutum est bibendum, lac caprinum mixtum cum aqua calcaria vel aqua carbonici acidi particulas continente; ius iallinaceum vel vitulinum luteum ovi (parva puantitate) aegroto sunt porrigenda, infusiones ex eisdem materiis per anum, abstinendum aliis remediis.

CURATIO.

Gastritidis mucosae chronicae.

Inflammationem chronicam mucosae ventriculi saepissime exoriri rebus alimentariis nocentibus, iam vidimus, quare in primis morbum victu curandum puto. Abstineat aegrotus vino, alimentis irritantibus, carn, coleribus; paullulum cibi tantum sumat non calidi, aquam bibat frigidam (Broussais). Saepe edat, etsi vis famis non tolerabilis, bibat aquam, in qua solutum gummi arabicum (Broussais). Cibus aegroto aptissimus lac bubulum, vel eius serum, quo solo nonulli aegroti sanati esse dicuntur (Abercrombie p. 67 etc. Morgagni Epistol. XXXIX N. 12). Mulier quaedam pomis in aqua coctis sanata est (Broussais). Lac miscere potest cum aqua calcaria vel aqua, in qua solutae nonnullae particulae acidi carbonici, cuius mixturae sumat aegrotus ternis vel quaternis horis cochlearia nonnulla (Bokitansky). Lac vel serum lactis si aegroti eagre ferunt, seponenda, contra puls e farina facta vel cocta ex oryza edenda (Rokitansky, Abercrombie, Osborn). Alii lac bene ferunt subfrigidum, alii lac mixtum cum natro bicarbonico vel magnesia vel lapillis cancri (Naumann 491). Cibus iurulentus simpliciter paratus, ius gallinaceum, quibus addita sunt lutea ovorum, Arrowroot, Sago, plurimis in casibus aegroto, si eorum sumpserit parvam pluries quan-

titatem damno non erunt (Naumann pag. 492, Broussais). Lavatum ire in balneas tepidas, bonum (Broussais) coelo sereno modicis exercitationibus utantur aegri (Naumann) nisi morbus attigerit magnum gradum. Simul cum his coniungenda sunt remedia externe adhibenda; ad regionem epigastricam hirudines tres ad sex applicandae, (Broussais). Ubi dolor illius regionis rediit, denuo hirudines in illo loco ponendae; glacies vel aqua frigida ad epigastrium applicatae interdum utiles (Broussais). Frigus adhibitum si molestiis est aegroto, reiiciendum et loco frigoris cataplasmata emollientia vel' fomentationes tepidae ad illum locum applicandae (Broussais). Oleum sinapis, oleum crotonis, unguentum stibiatum, unguentum cinereum, unguentum digestivum interdum infricata sunt in regionem epigastricam et non sine emolumento. Ubi vomitus vehemens, emplastrum cantharidum hirudinibus antea adhibitis ad epigastrium saepe magnae utilitatis. Sinapismorum memores simus, si agitur de vomitu debellando (Naumann). Moxam in regione epigastrica exurendam optimum esse remedium edicit Osborne. Ubi morbus articularis, haemorrhoides, morbi uteri sunt causae inflammationis mucosae ventriculi chronicae, fonticuli ad partes primae affectae, hirudines ad anum ad vaginam, pediluvia acria et quae sunt alia eiusmodi in usum sunt trahenda. Propter alvum obstrictam clysteres sunt adhibendi (Broussais). Contra ructus frequentes et acidi utebantur medici cum bono eventu magnesia carbonica, lapillis cancri, natro carbonico, aqua calcaria (Wilson, Abercrombie). Ubi secretio mucosae acida, copiosa, morpheum aceticum utile esse dicunt. Idem laudatur, ubi crebrae accessiones cardialgiae cuniunctum cum aqua laurocerasi (Naumann 494).

Calomel interdum bonum (Abercrombie). Ubi lingua muco obtecta, alvus tarda rheum cum natro carbonico vel ipecacuanha vel sale ammoniaco adhibitum est; rheum autem cum Calomelane, ubi hepar morbi particeps mucosae ventriculi videbatur (Naumann, Wilson). Argentum

nitricum adhibebatur cum optimo eventu, si ventriculi sensibilitas magna cum conformatione acidi abnormi. Morpheum aceticum cum magisterio bismuthi, opium, bella donna, nux vomica, flores zincii, china, chininum sulphuricum natrum boracicum, alumen, allium, benzoe, ratanha et alia a scriptoribus commendata sunt remedia, quae nonnunquam utilia fuisse dicunt aegrotis, quae autem nominasse sufficiat, quum eidem auctores vitae conditiones non nominaverint, sub quibus utilia adhiberi possint, quumque nonnulli scriptores illa remedia tamquam noxia reiecerint (Abercrombie, Broussais). Inflammatio chronica mucosae ventriculi coniuncta cum ulceribus mucosae ventriculi semel sanata est ferro sulphurico cum aloe et pulvere aromatico (Abercrombie pag. 66). Ubi sanguinis fluxiones e ventriculo vitae minantur, plumbum aceticum sine et cum morpheo, acida, tinctura ferri muriatica, alumen, gummikino, bismuthum oxydatum remedia, quibus sanguinis profluvium sistere potest (Abercrombie p. 108). Si contigit medico, ut diaeta et medicaminibus iam allatis morbo devinceret, toto animo et studio omni incumbendum in id, ne convalescens noxiis usitatis sed et. Primo tempore convalescentiae abstineat se firmis cibis, vino et spiritu vini, sumat iuscula carnosa, ova lac, cibos s farina paratos, pultem factam ex oyra et similia. Morbus autem, si ad mortem approperat, methodus antiphlogistica seponenda, remedia tonica, roburantia quibus vita prolongetur aegri, tum aegroto sunt porrigenda (Broussais).

VITA.

Anno huius seculi vigesimo quarto natus sum Borceti, patre Iosepho Hahn, matre Catharina Dahmen, quam defunctam lugeo. Eruditionis elementis in patriae schola imbutus, quum linguam Latinam primis labiis gustassen, quartam Gymnasii Aquisgranensis quod Schoenio directore dignissimo humanissimoque floret, classem adii. Hoc igitur, quum per sex annos frequentassem anno aetatis vigesimo, maturitatis testimonio exstructus, reliqui et almam Uriversitatem Fridericiam Guilhelmiam Rhenanam petii, ubi a Bleekio Rectore Magnifico in civium Academicorum numerum relatus. per quinquennium integrum sum commoratus et doctrinis theologicis, philosophicis nec non medicinae operam navavi. Primum enim auspicante Vogelsangio. Theologorum Cath. Ordini adscriptus per tres semestres Theologiae studiosus fui, tum vero mutato consilio Medicinae me dedi studiis Naumannio tum temporis huius Ordinis Decano. In hoc altero studio impigre incumbens aestate MDCCCLXVI Tentamen Philosophicum absolvi et novissimo anno auspice Doctore Callmanio militaris officiis fungor chirurgi.

Praelectiones autem Theologicas audivi apud Dieringerium, Friedlibium, Scholzium, Vogelsangium; Philosophicas apud Delbrückium, Goldfussium, Noeggrathum, Plückerium, Treviranum, Bischoffium; medicas denique apud Budgeum, Mayerium, Weberium, Naumanninm, Nasseum, Kilianum, Wutzerium, Harlessium, Brachium. Audivi et Grammaticam Italicam et Divinam Comoediam Dantis apud Dietzium.

His igitur viris omnibus Universitatem relicturus data occasione gratias ago quam maximas ac debita pietate me semper iis devinctum fore spondeo.

THESES.

1. *Causa caloris corporis est oxygenium in sanguine, non motiones musculorum.*
2. *Magna dosis tartari stibiati in pleuritide acuta cum effusione recente melius est medicamen quam Calomel.*
3. *Ars obstetricia omnes disciplinas artis medicae superavit.*
4. *Varii morbi hepatis inter se initio distingui nequeunt.*